



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Eginhartvs De Vita Caroli Magni, Animadversionibvs Illvstratvs

Bessel, Friedrich
Reinhard, Johann Friedrich

Helmeftadii, 1667

Animadversiones Ad Cap. XXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10996

tionem, que similiter ut cetera ex auro & argento constat, adjungi voluit omnia ex are & ferro, aliisque metallis, vasa atque utensilia, cum armis & vestibus, aliaque preciosa aut vili ad varios usus facta suppellectile, ut sunt cortina & stragula, * tapetes, fulcra, coria, sagmata, & quicquid in camera atque vestiaria ejus eo die fuisset inventum, ut ex hoc majores illius partis divisiones fierent, & erogatio eleemosynæ ad plures pervenire posset. † Capellam, id est ecclesiasticam ministerium, tam id quod ipse fecit atque congregavit, quam quod * ad eum ex paterna hereditate pervenit, ut integrum esset, neque ulla divisione scinderetur, ordinavit. † Si qua autem inveniuntur aut vasa, aut libri, aut alia ornamenta, quæ liquido constaret eidem capellæ ab eo collata non fuisse, hæc qui habere vellet, dato iustæ æstimationis pretio emeret & haberet. † Similiter & de libris, quorum magnam in bibliotheca sua copiam congregavit, statuit: ut ab iis qui eos habere vellent, iusto pretio * redimerentur, pretium in pauperes * erogaretur. † Inter ceteros thesauros atque pecuniam, tres mensas argenteas, & auream unam præcipuæ magnitudinis & ponderis esse constat: de quibus statuit atque decrevit, ut una ex iis, quæ forma quadrangula, descriptionem Urbis Constantinopolitana continet, inter cetera donaria, quæ ad hoc deputata sunt, Romam ad basilicam Beati Petri Apostoli deferatur: & altera quæ forma rotunda, Romanae urbis effigie * insignita est, episcopo Ravennatis Ecclesiæ conferatur. † Tertiam, quæ ceteris & operis pulchritudine, & ponderis gravitate multum excellit, quæ ex tribus orbibus connexa, totius mundi descriptionem subtili ac minutâ figuratione complectitur: & auream illam, quæ quarta esse dicta est, in tertis illius, & inter heredes suos atque in eleemosynam dividendæ partis augmentum esse constituit.

ANIMADVERSIONES AD CAP. XXXIII.

Testamenta instituit) In unversum quatuor testamenta à Carolo constituta, Goldastus opinabatur. Duo tamen extra dubium verè Carolina sunt: alterum quod refert Auctor, alterum quo de divisione regni in tres partes faciendâ egerat; quod ipsum ad Leonem Papam, ut suâ manu subscriberet, à Carolo per Eginhartum missum est, testibus Adelmo ad ann. 806. & Monacho Egoismenf. pag. 268. qui postremus testamentum illud nobis servavit in vitâ eius pag. 283.

Nomina verò Metropolitanarum Civitatum) Scriptus Codex Metropolitanarum corruptè legit, quo pro reponendum Metropolitan. Nomina autem Civitatum Archiepiscopaliū ex Eginharto describit Marianus Scotus, lib.

111. Anno 817. & accuratius, Albericus apud Collectorem Chronici Belgici fol. 46. in hunc modum: Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Julii (quæ & Aquilegia dicitur,) Gradus in Venetiis, Moguntia, Iuvanium in Bavaria [quæ & Salzburg.] Colonia, Treviris, Remis, Senonis, Vienna, Lugdunum, Bisantium, Rothomagus, Arelate, Tharentesia, Ebredunum, Burgdegala, Thurorum, Bithurium.

Cortina & stragula) Horum verborum ut & sequentium explicationem illustrem adjicit Ulpianus lib. XLIV. ad Sabinum l. 25. D. de aur. & arg. Paulò post è Cod. Flor. reponendum: tapetia, filtra. Potius enim hoc malim, quàm vel vulgatù, sulcra, vel phrygia, quæ vocant acu picta tapetia, quod placuit Barth. lib. VI. Adversar. c. 7. Filtrum est stragulum quoddam sem tapes, qui propriè equis insternitur. Leges Bojor. tit. 2. cap. 6. §. 1. Capistrum, frenum, filtrum. Deinde pro quolibet tapetio, ex filis, vel pilis animalium confecto accipitur. Haithonus Armenus, Hist. Orient. cap. 16. Extendentes quoddam filtrum nigerrimum super terram, desuper sedere fecerunt Changium.

Capellam) Rectè Auctor per ministerium ecclesiasticum exponit, quemadmodum & Ekkehardus Junior in casibus cap. 1. aliquoties usurpat. Diversa cæteroquin vocis est significatio. Nunc enim domicilium Scribarum notat, ut apud Monachum Sangellensem lib. 1. cap. 4. De pauperibus supra dictis, quendam optimum dictatorem & scriptorem in capellam suam assumpsit. Unde & Capellani Scribæ Secretarii que dicti sunt, & Eginhartus noster in Chronico Syvartz ahensi, Archicapellanus dicitur, hoc est Cancellarius vel Princeps Scribarum. Nunc minutiùs aliquod sanum, seu Oratorium templo grandi adjungi solitum designat, id quod videre est ex Joh. Sarisberienfis Epist. 4. Hincmarus Clero & plebi Tornacens. De capellis antiquitus subiectis Ecclesiis, non aequalem sicut de principalibus Ecclesiis collationem exigat. Quanquam templa etiam majora, hoc nomine indifferenter veniant: Et quod magis est splendida illa basilica Aquisgranensis, Capella appellatur, ab Adelmo Annal. Francic. ad ann. 828. De nomine eruditè disputant Casp. Barthius Advers. lib. XIV. cap. 11. & Petrus à Beek in Aquigrano.

Similiter & de libris, quorum magnam in Bibliothecâ suâ copiam congregavit.) Celeberrima tùm temporis fuit Bibliotheca illa Carolina, optimis libris citra dubium referta, quâ de Guilielmus Paradinus Histor. Lugdunens. Gallicè scripta & edita Lugduni 1573. lib. 11. cap. 106. scribit, in Abbatia Insulæ Barbaræ fuisse Bibliothecam Caroli M. eamque instructissimam: ex qua Poëmata Ausonii, nunquam antea visa, producta ab Antonio Albeino, Archiepiscopo Lugdunensi, & Abbate illius monasterii: Illius

Bibliotheca Præfectos fuisse, primò *Agobardum*, deinde *Leydradum*: Prodiisse etiam ex illâ Bibliothecâ *Pontium Diaconum* de Vitâ Cypriani. Hæc ille; cujus indicinam mihi fecit *H. Meibomius*, Vir Eruditissimus.

CAPVT XXXIV.

Hanc constitutionem atque ordinationem coram 1. episcopis, abbatibus, comitibusque, qui tunc præsentibus esse potuerunt, quorumque hic nomina scripta sunt, fecit atque constituit. † Episcopi: Hildeboldus, Richolfus, * Arn, Wolfarius, Bernoïnus, Laidradus, Joannes, Theodulfus, Iesse, Hetto, Waltgaudus. † Abates: Fridogifus, Adalungus, Engilbertus, Irmino. † Comitibus: Walach, Meginher, * Othulfus, Stephanus, * Unruohus, Burchartus, Meginhartus, Hatto, Richvvinus, Eddo, * Erchangarius, Gerholtus, Bero, Hildegern, Rhoculfus. † Hæc omnia filius ejus Ludovicus, qui divina ei iussione successit, inspecto eodem Breviario, quam celerrimè poterat, * post ejus obitum summâ devotione adimplere curavit.

*MS. Arn.

*Cod. Flor.

*Oculfus.

*MS. Reub.

*Unruocus.

*MS. Ar.

*Erchangarius.

*MS. Flor.

*Post obitum

*curavit.

ANIMADVERSIONES

AD CAP. XXXIV.

Hildeboldus) Non tangam hîc, quæ summis Viris Mallinckrotto de *Archicancellariis* pag. 9. & *Conringio ad Epist. ix. Leonis* p. 79. notata sunt: Illa saltem quæ præterea legere memini additurus. Sic autem de eo ex *Chronicis Pontificum Coloniensium*, Auctor *Chronici Belgici Pistoriani* fol. 50. *Venerabilis Pater Hildeboldus, decimus nonus Archiepiscopus Coloniensis ecclesie, sedit sub Carolo M. & ejus Filio Ludovico Pio Imperatoribus. Qui eundem Ludovicum unxit in Regem Romanorum, & sedit annis 34. Hildeboldum appellant capitula Caroli M. & Ludovici Pii lib. 11. cap. 25. itemque Rembertus in vitâ S. Ansharii cap. 7. p. 180: cujus tamen Paraphrastes Gualdo Monachus Corbejensis, primùm à Lambecio è situ erutus cap. 20. v. 13. p. 262. verum nomen,*